

SCRIPTA

Numéro Scripta : 3458

Auteur(s) : Louis IX, France (roi)

Bénéficiaire(s) : Mathilde de Dammartin, Boulogne (comtesse)

Genre d'acte : charte

Authenticité : non suspect

Datation : 1236, mai

Lieu d'émission : Paris

Action juridique : autre

Langue du texte : latin

Analyse

Louis [IX], roi de France, notifie un accord conclu entre le roi et sa cousine Jeanne, fille du comte Philippe de Boulogne, d'une part, et M[athilde II], comtesse de Boulogne, d'autre part. L'accord porte sur la terre que Mathilde a demandée au roi et que le comte R[enaud], son père, avait possédée dans le pays de Caux, à Alisay et dans le comté d'Aumale.

Tableau de la tradition

Éditions principales

a. Delisle Léopold, *Cartulaire normand de Philippe-Auguste, Louis VIII, Saint-Louis et Philippe le Hardi*, Caen, Harde l (MSAN ; 16, 2e série, 6, p. 160-390), 1852, n° 425, p. 69.

Texte établi d'après a

Ludovicus, Dei gratia, Francorum Rex, notum facimus, quod, cum contentio verteretur inter nos pro nobis et pro Johanna consanguinea nostra, filia Philippi, quondam comitis Bolonie, ex una parte, et M. comitissam Bolonie, ex altera, super hoc quod dicta comitissa petebat a nobis totam terram quam habebat pater suus comes R. in Caletto et apud Alisiacum, et comitatum Albemarle, quas terras nos habebamus in ballo nostro, nomine predictae Johanne, que erat infra etatem, exceptis terra de Alisiaco et alia terra, quam invenimus in manu comitis Roberti, quas habebat de dono Philippi comitis Bolonie, ut dicitur, et dicta comitissa dicebat easdem terras ad se pertinere, eo quod pater suus dederat ei in maritaggio, quando desponsata fuit Philippo filio clare memorie Regis Philippi, sicut dicebat, et sicut dicebat contineri in carta Regis Philippi, cujus forma hec est :

(Voyez l'analyse de cette charte, à l'an 1210 : SCRIPTA 4057)

Et secundum verba predictae carte petiit a nobis sibi jus exhiberi, et iudicium se recipere in curia nostra super hoc concessit, renuntians omnibus aliis cartis pertinentibus ad querelam supradictam, que nobis possent nocere et prodesse comitisse predictae, et nos super hiis debemus habere consilium respondendi et jus faciendi dicte comitisse. Super predictis autem, ante responsionem, et iudicium nostrum, de consilio proborum virorum, fuit ordinatum et concessum de voluntate nostra et dicte comitisse usque ad duodecim annos completos vel usque ad mortem ejusdem Philippe (sic), si contingeret eam infra etatem mori, (quod Dominus avertat !) tali modo, scilicet quod dicta comitissa recipiet annuatim ad scaquarios nostros per manum ballivi nostri, sibi super hoc jurati, medietatem omnium proventuum dictarum terrarum, exceptis terra de Alisiaco et aliis terris, quas Philippus quondam comes Bolonie dicitur dedisse Roberto comiti Drocensi, et Pilatavilla et alia terra que fuit vice-domini de Pinquigni, que site sunt in Normannia, et non sunt in ordinatione ista. Preterea sciendum est quod de omnibus proventibus dictarum terrarum, salvis penitus proventibus terrarum que sunt excepte, reddentur elemosine et feoda,

et fient expense ad conservationem dictarum terrarum et nemorum et castrorum et ad reparationem domorum et molendinorum, furnorum, granchiarum, calceiarum, vivariorum, et ballivorum, servientum et aliorum similium, que pertinent ad communem terre sustentationem, sine constitutione novorum edificiorum ; completis autem duodecim annis, vel decedente dicta Johanna infra duodecim annos (quod Deus avertat !) omnia jura, tam nostra quam dicte Johanne quam etiam comitisse supradicte, erunt in eo statu et puncto in quo erant antequam ordinatio ista facta fuisset, ita scilicet quod propter ordinationem istam ex tunc nulli erit jus acquisitum vel diminitum. Hec omnia supradicta ordinata fuerunt, salvo in omnibus jure nostro et heredum nostrarum, et jure dicte Johanne filie comitis Bolonie, et jure dicte comitisse et heredum suorum, qui in predictis jus debent habere, et omni jure alieno. In cujus rei testimonium, de assensu nostro et de assensu dicte comitisse, sigillum nostrum presentibus litteris duximus apponendum. Actum Parisius, anno Domini M° CC° tricesimo sexto, mense maio.